

PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATiONES

VOL. XXVIII - N. 2

1996

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1996

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Ex Allocutione Summi Pontificis Germaniam invisitantis ad Praesules Episcoporum Conferentiae Eiusdem Nationis	171
--	-----

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS

Rescriptum ex Audientia SS.mi	175
---	-----

ACTA CONSILII

NOTAE EXPLICATIVAE

Assoluzione generale senza previa confessione individuale. Nota explicativa quoad can. 961	177
---	-----

Obbligo del Vescovo di risiedere in Diocesi. Nota explicativa quoad can. 395 CIC	182
--	-----

ALIAE QUAESTIONES STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	187
--	-----

RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS	190
---	-----

SYNTHESIS GENERALIS LABORIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO	191
---	-----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studii « De Magisterio ecclesiastico » (Sessio VII)	237
--	-----

Coetus studii « De Magisterio ecclesiastico » (Sessio VIII)	262
---	-----

Coetus studii « De Magisterio ecclesiastico » (Sessio IX)	303
---	-----

Notitiae	327
--------------------	-----

Opera a Consilii Bibliotheca recepta	330
--	-----

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

I

COETUS STUDII

«DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO »¹

Sessio VII

(dd. 17-19 ian. 1972 habita)

Diebus 17-19 ianuarii 1972, in Aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, habita est VII^a Sessio Consultorum, qui Coetum Studiorum efformant ad recognoscendas normas CIC « De Magisterio Ecclesiastico ».

In conventibus partem habuerunt Exc.mi duo atque duo Rev.mi Consultores.

Rev.mus D. Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus, munere Praesidis et Relatoris functus est.

Rev.mus Marianus De Nicolò, Adiutor a Studiis Commissionis, acta rededit.

Rev.mus Relator, ineunte sessione, proponit ut omnes canones iam pluries recogniti una simul perlegantur et reconsidererentur; hoc enim modo maior harmonizatio haberri potest, cum canones in diversis temporibus redacti sint. Forsan aliquid, saltem in redactione, est mutandum.

Animadvertisit insuper idem Rev.mus Dominus quod non omnes canones hic recensiti, locum, ubi de Magisterio agitur, obtinebunt. *Textus canorum invenitur in fasciculo cui titulus est « Canones recogniti a Coetu de Magisterio Ecclesiastico ».*

In textus canonum lectione haec Consultores animadverterunt:

DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO IN GENERE

Can. 2 (novus)

§ 1. Omnes homines, cum veritatem in iis quae sunt ad Deum Eiusque Ecclesiam respiciunt quaerere teneantur, veritatem evangelicam veram-

¹ Praecedentes Sessiones huius Coetus studii inveniuntur in *Communicationes* respective XIX, 1987, 221-260: Sessio I; XX, 1988, 122-147: Sessio II; XX, 1988, 169-213: Sessio III; XX, 1988, 214-264: Sessio IV; XXI, 1989, 56-93: Sessio V; XXI, 1989, 274-315: Sessio VI.

que Ecclesiam, quam cognoscant, lege divina amplecti ac servare obligantur (cf. Conc. Vat. II, Declar. *Dignitatis humanae*, n. 1).

§ 2. Ad amplectendam fidem catholicam a nemine unquam homines contra propriam conscientiam coactione adduci possunt (cf. Conc. Vat. II, Declar. *Dignitatis humanae*, n. 2, 4).

Quoad § 1: Exc.mus primus Consultor animadvertisit quod homo non tantum veritatem in iis quae sunt ad Deum Eiusque Ecclesiam respiciunt quaerere tenetur, sed ius ad illas veritates habet. Velle, igitur, Exc.mus ut hic conceptus magis explicite in textu exprimatur.

Rev.mus Relator notat hic de obligatione ex lege divina agi et non de iure canonico: ius consequenter adest ex obligatione.

Rev.mo secundo Consultori animadversio non videtur admittenda cum hic agatur de magisterio.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut alia paragraphus addatur, ex parallelismo cum § 2 can. 1, ubi sermo fiat de omnium hominum ad veritatem religiosam iure.

Tandem aliquando Rev.mus Relator sequentem proponit formulam: «Omnes homines..., quam cognoscant, amplectendi ac servandi lege divina obligantur ac iure gaudent».

Placet omnibus.

Can. 3 (CIC 1324)

Cum eis quae ab Ecclesia tanquam de fide divina et catholica credenda, fidei obsequio adhaerendum sit, tenentur omnes quascumque devitare doctrinas iisdem contrarias, immo et eas quae cum doctrina catholica non congruunt. Quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare quae ad proscribendas prohibendasque erroneas opiniones ferunt proprius Episcopus, Episcopi regionis vel provinciae ecclesiasticae in Conciliis particularibus aut Episcoporum Conferentiis, speciali vero ratione quae edit Apostolica Sedes.

Desinit verbum «proponuntur» post «ab Ecclesia». Et aliquae correctiones redactionales fiunt: post «non congruunt» ponatur: «ferant» loco «ferunt» et «edat» loco «edit».

Animadvertisit Rev.mus Relator quod hic transferri deberet canon circa fidem, qui in Lege Fundamentali invenitur, si forte in ipsa LEF locum non habebit. Est textus § 1 can. 1323 CIC.

Can. 5 (novus)

§ 1. Sedis Apostolicae imprimis est promovere et dirigere motum oecumenicum quem vocant, actiones et incepta ad christianam unitatem fo-

vendam suscitando et ordinando. Conferentiarum Episcoporum item est eadem promovere, atque pro variis adiunctorum necessitatibus vel opportunitatibus, normas practicas statuere.

§ 2. Publicae precatio[n]es pro christianorum unitate inter catholicos, etiam cum non catholicis convenientes, foveantur, praesertim in quibusdam peculiaribus adiunctis, servatis normis ab Episcoporum Conferentiis statutis.

Quoad § 1: Post «ordinando» dicatur «Episcoporum Conferentiarum».

Can. 6 (CIC 1326)

Episcopi quoque, licet singuli vel etiam in Conciliis particularibus aut Conferentiis congregati infallibilitate docendi non polleant, fidelium tamen suis curis commissorum, sub auctoritate Romani Pontificis, veri fidei sunt doctores seu magistri.

Tollatur «quoque» post «Episcopi», et loco «Romani Pontificis» dicatur «Supremae Ecclesiae potestatis». Placet.

Can. 7 (CIC 1327 § 1)

§ 1. Inter praecipua Episcoporum munera eminet praedicatio Evangelii; Episcopi, sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes, in communione et sub auctoritate Summi Pontificis, hoc magisterium exercent omnes uniti in Collegio seu corpore quoad universam Ecclesiam (cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 25; Decr. *Christus Domininus*, n. 3).

§ 2. Pro universa Ecclesia munus christiani nominis propagandi singulari modo Romano Pontifici, Petri successori, demandatum est (cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 23).

§ 3. Illud munus exercent Episcopi singuli, quoad assignatas sibi dominici gregis partes, unusquisque pro Ecclesia particulari sibi commissa, aut quandoque aliqui coniunctim necessitatibus quibusdam diversarum Ecclesiarum communibus providentes, ad normam sacrorum canonum (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Domininus*, n. 3).

Ad § 3: loco «sacrorum canonum» dicatur «iuris».
Placet.

Can. 8 (CIC 1327 § 2)

§ 1. Episcopi officio Evangelium annuntiandi per se ipsi tenentur.

§ 2. Presbyteri, utpote Episcoporum cooperatores, primum habent officium Evangelium Dei annuntiandi; praesertim hoc officio tenentur, quoad gregem sibi commissum, parochi aliisque quibus cura animarum concreditur. Diaconorum etiam est in diaconia verbi Populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inservire (cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 28, 29; Decr. *Christus Dominus*, n. 30; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 4).

§ 3. In hoc munere adimplendo, Episcopi insuper in auxilium sibi assumere debent religiosos atque idoneos laicos, utriusque sexus, eos praesertim qui Institutis saecularibus sunt adscripti.

Ad § 3: loco «assumere debent religiosos atque...» dicatur «assumant religiosos necnon...» (Relator).

Placet.

Can. 10 (CIC 1328)

Nemini licet quodvis ministerium verbi Dei annuntiandi exercere, nisi a legitimo Superiore missionem receperit, sive facultate specialiter data, siue officio collato cui ex sacris canonibus hoc munus inhaereat.

Loco «ex sacris canonibus» dicatur «vi iuris». Placet.

Can. 11 (novus)

Cum Dei populus primum coadunetur verbo Dei vivi, quod ex ore sacerdotum omnino fas est requirere, munus praedicationis magni habere debent Christi ministri, quippe quorum prius officium sit Evangelium Dei omnibus evangelizandi (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 4).

Dicatur «magni habeant» loco «magni habere debent» et «primum» loco «prius». Placet.

Can. 12 (novus)

§ 1. Episcopi, etiam titulares, ubique terrarum praedicandi habent facultatem, atque in omnibus ubique ecclesiis aut oratoriis, etiam exemptis, praedicare possunt, nisi loci Ordinarius in casibus particularibus id expresse renuerit.

§ 2. Ordinarii loci, licet dignitate episcopali non sint insigniti, ius habent praedicandi in qualibet sui territorii ecclesia, quamvis exempta.

Ad § 1: Exc.mus primus Consultor proponit ut expressio «in casibus particularibus» tollatur.

Contradicit Rev.mus Relator, secus Episcoporum facultas caderet ex eo quod aliquis Ordinarius legem edere posset generalem contra ipsum ius universale.

Manet ideo textus.

Omnes convenient, proponente Rev.mo Relatore, ut textus canonis forma singuli redigatur. Placet.

Can. 15 (CIC 1339)

Ordinarii locorum religiosis qui a proprio Superiore proponuntur, sine gravi causa facultatem praedicandi ne denegent concessamque semel facultatem ne revocent.

Textus in forma redigatur singulari. Placet.

Can. 16 (CIC 1340)

§ 1. Locorum Ordinarii aut Superiorum religiosi competentes, facultatem aut licentiam praedicandi ne concedant nisi illis qui sunt moribus probi et qui sufficienti doctrina gaudere probati sunt per examen ad norman can. 877 § 1. Concessam semel facultatem aut licentiam sine gravi causa ne revocent.

§ 2. Contra decretum quo revocatur facultas aut licentia praedicandi, datur recursus, sed non in suspensivo.

Textus § 1 in forma singulari redigatur. Placet.

Can. 17 (CIC 1341)

§ 1. Episcoporum Conferentiarum est insuper normas statuere quibus definiantur conditiones et licentiae requisitae ut sacerdotes extradioecesani, sive saeculares sive religiosi, a parochis aut ecclesiarum rectoribus invitari possint.

§ 2. In ecclesia paroeciali quae simul sit capitularis aut confraternitatis propria, invitationem facere, servatis praescriptis Episcoporum Conferentiae, ad parochum pertinet, nisi de functionibus agatur capitulo aut confraternitati propriis.

Ad § 1: loco «Conferentiarum» (1 lin.) dicatur «Conferentiae».

Can. 18 (CIC 1342)

§ 1. Facultatem praedicandi Ordinarii et Superiorum religiosi concedant solis sacerdotibus aut diaconis, non vero ceteris clericis, nisi iusta de causa et in casibus singularibus.

§ 2. Ad praedicandum in ecclesia ne admittantur laici, nisi certis in adjunctis necessitas id requirat, aut in casibus particularibus utilitas id suadeat, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta».

Textus in forma singulari redigatur. Placet.

Can. 19 (novus)

§ 1. Inter praedicationis formas eminet homilia, quippe quae pars sit ipsius liturgiae; in eadem per anni liturgici cursum ex textu sacro fidei mysteria et normae christiana exponuntur (cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 52).

§ 2. In omnibus Missis diebus dominicis et festis de pracepto, quae in ecclesia aut oratorio publico vel semipublico, aut, servatis canonum praescriptis, sub dio, concurrente populo celebrantur, homilia habenda est nec omitti potest nisi gravi de causa (cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 52).

§ 3. Valde commendatur ut, si sufficiens detur populi concursus, homilia etiam habeatur etiam in Missis quae infra hebdomadam, praesertim quae tempore adventus aut quadragesimae aut quae occasione sive alicuius festi sive rei luctuosae celebrantur.

§ 4. Parochi aut ecclesiae vel oratoris rectoris est curare ut haec praescripta religiose serventur.

Ad § 1: post «normae» addatur verbum «*vitae christiana*...».

Ad § 2: verba «publico vel semipublico» inter parentheses mittantur, quia amplius locum non habebit haec distinctio, et tantum sermo erit de ecclesia et oratorio.

Ad § 3: Supprimatur «etiam» in 2^a alinea post verbum «homiliam» et sicuri fons citetur Instructio «*Inter Oecumenici*», n. 53.

Can. 20 (CIC 1346)

Episcoporum Conferentiarum est praeterea normas statuere de praedicationibus habendis tempore Quadragesimae vel Adventus, aut etiam aliis

temporibus vel occasionibus, in quibus iuxta rerum adiuncta, id opportu-
num videatur.

Loco «Conferentiarum» dicatur «Conferentiae».

Can. 23 (CIC 1349)

Parochi, etiam religiosi, certis temporibus, iuxta Episcoporum Confe-
rentiarum praescripta, illas ordinent praedicationes, quas exercitia spiritua-
lia missionesve vocant, quibus nempe integra christiana doctrina quantum
possibile sit fidelibus exponatur.

Dicatur «Conferentiae» loco «Conferentiarum».

Can. 26 (novus)

Conferentiarum Episcoporum, votis suis cum Apostolica Sede commu-
nicatis, est pro suo cuiusque territorio normas in Directorio catechetico
statuere fundamentales (praecipuas) ad catecheticam puerorum, iuvenum
atque adultorum institutionem ordinandam, itemque curare ut libri ad
eandem institutionem spectantes rite elaborentur.

Dicatur «Episcoporum Conferentiae» loco «Conferentiarum Episco-
porum».

Can. 27 (novus)

Servatis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, Episcopi dioce-
sani insuper praescripta edicere tenentur, quae ad populum in doctrina
christiana instituendum spectant. Quae quidem praescripta omnes servare
obligantur, religiosi quoque, etiam exempti, quoties ad non exemptos do-
cendos operam praestant.

Prima pars canonis in forma singulari redigatur. Placet.

Can. 28 (CIC 1333 et 1334)

§ 1. Parochi, vi muneric sui, religiosam institutionem puerorum, iuve-
num et adultorum curare tenentur, et in hoc munere explendo operam
adhibere debent clericorum in paroecia degentium, imprimis presbytero-
rum et diaconorum, religiosorum atque etiam piorum laicorum, virorum
ac mulierum, illorum potissimum qui alicui Instituto saeculari aut pio
Doctrinae christiane sodalitio sunt adscripti (cf. Conc. Vat. II, Const.
dogm. *Lumen gentium*, n. 28, 29; Decr. *Christus Dominus*, n. 30).

§ 2. Presbyteri, diaconi aliique clerici, nullo legitime impedimento

detenti, proprio parocho in hoc sanctissimo opere auxilium praestare tenentur.

§ 3. Religiosi quoque, viri ac mulieres, itemque qui Instituto saeculari adscripti sunt, ad catecheticam institutionem populo tradendam libenti animo cooperari debent. Superiores religiosi, etiam exempti, et rectores Institutorum saecularium, tenentur per se vel per suos subditos populo christiano catecheticam institutionem tradere (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 35, 1°).

§ 4. Alii etiam fideles, viri ac mulieres, sufficienti doctrina qui praediti sunt, libenter ad hanc institutionem curandam adiutricem operam praestent.

Deleatur verbum «piorum» in linea 4 primae paragraphi et dicatur insuper: «Parochus... tenetur... debet...». Placet.

DE EDUCATIONE CHRISTIANA

Can. 1 (novus)

Cum omnibus hominibus, ratione dignitatis personae, ius sit inviolabile ad educationem proprio fini respondentem, christifideles, quippe qui per regenerationem ex aqua et Spiritu Sancto nova creatura effecti sint, ius habent ad educationem christianam qua ad maturitatem humanae personae prosequendam adducantur, atque simul in mysterio salutis cognoscendo et vivendo instruantur.

Rev.mus Onclin proponit ut post «respondentem» addatur «propriae que indoli consentaneam»; finis enim pro omnibus hominibus unicus est: vita aeterna.

Propositio omnibus placet.

Addatur «quidem» post «qua» (ad educationem christianam, qua quidem...) et dicatur «insimul» loco «simul». Placet.

Fons canonis est Decl. *Gravissimum Educationis*, nn. 1-2.

Can. 2 (novus)

§ 1. Parentes, cum vitam filiis contulerint, prolem educandi gravissima obligatione tenentur atque iure gaudent, et ideo primi et praecipui eorum educatores sunt agnoscendi; quare parentum christianorum etiam est educationem christianam filiorum curare.

§ 2. Parentum christianorum imprimis officium est propitium familliae ambitum, amore nempe erga Deum et homines animatum, curare, qui integrae filiorum formationi personali ac sociali faveat.

§ 3. Parentibus christianis officium quoque et ius est, in exercendo hoc suo munere educationis eos participes facere, quorum opera filiorum formationi providere valeant, ideoque et ea eligere media et instituta, quibus, iuxta locorum adjuncta et attentis normis ab Episcoporum Conferentiis statutis, filiorum educationi christiana aptius prospiciatur.

§ 4. Parentibus omnibus cum ius competit fruendi subsidiis quibus in educatione filiorum propriae conscientiae consentanea procuranda indigent, parentibus christianis etiam ius est iis gaudendi auxiliis, quibus filios ita educare valeant ut eis formatio tradatur christiana harmonico gressu cum profana progrediens.

Ad § 1: Post «contulerint» verba «necnon qui eorum locum tenent» addantur. Placet.

Fons paragraphi 1ae et 2ae huius canonis est Decl. *Gravissimum Educationis*, n. 3.

Ad § 3: Dicatur «Episcoporum Conferentia... prospicere queant», loco «Episcoporum Conferentiis... prospiciatur».

Placet emendatio.

Ad § 4: Fons huius paragraphi est Decl. *Gravissimum Educationis*, n. 7.

Can. 3 (novus)

§ 1. Singulari ratione officium et ius educationis spectat ad Ecclesiam, quippe cui missio divinitus concredita sit viam salutis omnibus hominibus annuntiandi, credentibus vitam Christi communicandi omnesque iugiter materna sollicitudine adiuvandi ut ad huius vitae plenitudinem pervenire valeant.

§ 2. Animarum pastoribus gravissimum est officium omnia disponendi ut educatione christiana omnes fideles, praeprimis iuvenes, fruantur.

Fons § 1 est Decl. *Gravissimum Educationis*, n. 3.

Can. 4 (novus)

Ecclesiae est adiutricem suam operam praebere ad iuvenum praesertim formationem in iis quae vitam respiciunt terrenam, quippe quae ad com-

mune omnium patrimonium pertineant, et ita insimul Ecclesia omnibus populis adiutorium praestat ad promovendam integrum personae humanae perfectionem, ad bonum quoque societatis terrestris provehendum atque humanius hunc mundum aedificandum; immo, speciali ratione ipsi officium est ut, quantum id requirant adiuncta, formationis operam det in disciplinis terrenis, quatenus nempe cum vocatione hominis supernaturali intime connexae sint.

Fons est Decl. *Gravissimum Educationis*, n. 3.

Can. 5 (novus)

§ 1. Cum vera educatio integrum persequi debeat personae humanae formationem, in ordine ad finem eius ultimum et simul ad bonum commune societatum, quarum homo membrum exstat et in quarum actione partem habet, pueri et adulescentes ita excolantur oportet ut suas dotes physicas, morales et intellectuales harmonice evolvere valeant, perfectiorem responsabilitatis sensum libertatisque rectum usum adquirant et ad vitam socialem active participandam conformatentur.

§ 2. Curent igitur parentes, animarum pastores atque omnes qui in educatione partem habent, ut ipsa ratio vivendi communitatis in qua iuvenes formantur atque ambitus socialis in quo vivunt, nedum eorundem educationi christianaे obstant, eidem quam maxime faveant, utque omnia adhibeant media quae ad eandem educationem conferre possint.

Fons § 1 est Decl. *Gravissimum Educationis*, n. 1.

Can. 6 (novus)

§ 1. Inter media ad excolendam educationem christifideles magni faciant scholas, quae quidem parentibus, in munere educationis implendo praecipuo auxilio sunt.

§ 2. Cum magistris scholarum, quibus filios, educandos concredant, parentes arcte cooperentur oportet, eos sua fiducia omniq[ue] ope sustentantes; qui vero magistri, sive clerici vel religiosi sive laici, eximio muneri iuvenes educandi in scholis se devovent, cum, ad bonum quidem societatis insimul dum adlaborant, locum teneant parentum, in officio suo persolverendo intime collaborent cum parentibus, qui quidem libenter audiendi sunt quorumque consociationes vel conventus instaurentur atque magni existimentur.

Fons § 1. est n. 5 et § 2 est n. 8 Decl. *Gravissimum Educationis*.

Can. 7 (novus)

Parentes, quippe quibus primum et inalienabile officium et ius sit filios educandi, in scholis eligendis vera libertate gaudeant oportet; quare christifideles solliciti esse debent ut a societate civili haec libertas parentibus agnoscatur.

Fons huius canonis est n. 6 Decl. *Gravissimum Educationis*.

Can. 8 (novus)

§ 1. Parentes, quantum id sinant adiuncta, filios concredant illi scholis quae uti reapse catholicis a Hierarchia sint agnитae; quae scholae si deficiant, filios concredant scholis in quibus institutioni doctrinae christianaе providetur, praesertim iis quae iure particulari, sive per conventionem Ecclesiam inter et societatem civilem inducto sive ab Episcoporum Conferentia aut ab Episcopo diocesano statuto, declarantur a catholicis frequentari posse.

§ 2. In casibus in quibus filios scholis de quibus in § 1 concredere non possint, ipsi parentes obligatione tenentur curandi ut extra scholas debitae eorundem educationi christianaе prospiciatur, iuxta normas ab auctoritate ecclesiastica competenti latas.

§ 3. Episcoporum Conferentiis, atque, earundem praescriptis attentis, Episcopis diocesanis competit normas edicere, territorii sui condicionibus aptatas, quibus officia definitur parentum quibus, certis in adiunctis, filios scholis non catholicis concredere licet.

Ad § 1: dicatur «concredant illis... reapse catholicæ».

Ad § 3: dicatur «Episcoporum Conferentiae, atque, eiusdem... Episcopo diocesano...». Placet.

Can. 11 (novus et CIC 1379)

§ 1. Si praesto non sint, quae ab incoepitis privatorum aut ab ipsa societate civili erectae sunt, scholae in quibus educatio tradatur christiano spiritu imbuta, Episcoporum dioecesanorum est curare ut condantur.

§ 2. Ubi id expediat, Episcoporum dioecesanorum est, attentis normis, si quae habeantur, ab Episcoporum Conferentia statutis, curare ut iliae condantur scholae, spiritu christiano imbutae, quae pro temporis adiunctis peculiari ratione requiruntur, ut sunt scholae quas profesionales et technicas nuncupant.

In hoc canone locutio «Episcoporum dioecesanorum» in forma singulari ponatur: «Episcopi dioecesani».

Fons canonis est n. 9 decl. *Gravissimum Educationis*.

Can. 12 (novus)

§ 1. Curent scholarum catholicarum moderatores atque advigilent Episcoporum Conferentiae et locorum Ordinarii ut institutio quae in iisdem traditur pari saltem gradu ac in aliis scholis regionis ratione scientifica et paedagogica sit praestans.

§ 2. Locorum Ordinarii solliciti quoque sint scholarum non catholicarum sui territorii, curantes praesertim ut qui ad religionis institutionem in iisdem deputentur magistri, zelo, doctrina et arte paedagogica sint praestantes.

Ad § 1: dicatur «Episcoporum Conferentia et loci Ordinarius...» loco «... Conferentiae et locorum Ordinarii...».

Ad § 2: redigatur in forma singulari. Placet.

Can. 13 (novus)

§ 1. Ecclesiae auctoritati subiicitur institutio et educatio iuuentutis religiosa catholica quae in quibuslibet scholis sicut et quae variis communicationis socialis instrumentis procuratur; in specie Episcoporum Conferentiarium et locorum Ordinariorum est eandem ordinare atque in eandem invigilare.

§ 2. Locorum Ordinariis competit ius invigilandi et invisendi scholas catholicas in suo territorio sitas, etiam eas quae a religiosis conditae sint et dirigantur; eisdem etiam competit praescripta edere quae ad generalem attinent ordinationem scholarum catholicarum; quae praescripta etiam valent de scholis quae a religiosis, licet exemptis, diriguntur, salva quidem eorumdem quoad internum earum scholarum moderamen autonomia.

§ 3. Episcoporum Conferentiis atque locorum Ordinariis quoque competit ius invigilandi in omnia instituta atque opera, quae ad institutionem formationem christianam populi Dei pertinent, ea quoque quae religiosorum exemptorum moderamini subiiciuntur; eisdem etiam competit ius invigilandi et ordinandi usum instrumentorum communicationis socialis, quatenus ad formationem christianam impertiendam adhibeantur.

Ad § 1: dicatur «Episcoporum Conferentiae et loci Ordinarii...» loco «... Conferentiarum et locorum Ordinariorum...».

Ad § 2: dicatur «Loci Ordinario... dirigantur; eidem item competit... praescripta valent de scholis quoque quae a religiosis...». Placet.

Fons § 2 est Decr. *Christus Dominus*, n. 35 sub 4 et M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, 39, par 1.

Ad § 3: pariter dicatur «Episcoporum Conferentiae atque loci Ordinario competit...».

Fons est M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, 39, § 2.

Can. 14 (CIC 1381, § 3)

§ 1. Episcoporum Conferentiis pro scholis interdioecesanis sui territorii, locorum Ordinariis pro sua cuiusque dioecesi, ius est nominandi aut approbandi magistros religionis, itemque, si religionis morumve ratio id requirat, exigendi ut amoveantur.

§ 2. Eorundem similiter est libros ad religiosam institutionem adhibendos approbare et, si casus ferat, requirendi ut removeantur.

§ 3. In institutione religiosa tradenda serventur praescripta statuta in Directorio totius Ecclesiae et in directorio alicui regioni proprio.

Forma adhibeat singularis pro § 1 et tollatur verbum «cuiusque».

Placet totus canon.

Can. 16 (novus)

Magni facit Ecclesia Universitates studiorum atque Facultates, in quibus diversae excoluntur disciplinae scientificae, quippe quae, ad altiorem hominum culturam cum conferant, bono eorum spirituali quoque proficiant, quaeque praeterea, ad profundiores rerum cognitionem cum adlaborent, ad veritatem revelatam altius cognoscendam auxilio esse valeant.

Fons canonis est Decl. *Gravissimum Educationis*, n. 10.

Can. 17 (novus)

Nulla studiorum Universitas nomen «Universitatis catholicae» gerat, nisi quae ab Apostolica Sede vel Episcoporum Conferentia erecta sit, aut cui nomen «Universitas catholica» ab eadem Apostolica Sede vel ab Episcoporum Conferentia, audita Apostolica Sede, concessum sit.

Exc.mus quartus Consultor animadvertisit quod Universitas Catholica

de se est Universitas Studiorum pro tota Ecclesia, ideoque etiam reverentiae causa non sufficit ut in textu dicatur «audita Apostolica Sede», dum ipsi magis congrua videtur locutio «de consensu Apostolicae Sedis». Practice, notat idem Exc.mus Dominus — melius esset si numquam nomen catholicum alicui instituto apponерetur. Tamen perutile esset praxim Apostolicae Sedis in hac materia investigare.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut etiam in prima parte canonis ponatur expressio «de consensu»: esset in casu magis logicum.

Rev.mus Relator sententiam tenet Episcoporum Conferentiam Universitatem catholicam erigere posse. Item Exc.mus primus Consultor tenet Episcopum et Conferentiam aliquod institutum nomine catholicum decorare posse.

Hoc in casu pro Rev.mo tertio Consultore sufficeret ut dicatur «audita Apostolica Sede».

Exc.mus quartus Consultor insistit in sua sententia.

Rev.mus Relator proponit ut expressio «audita Sede Apostolica» auferratur.

Omnes suffragium dant affirmativum, excepto Exc.mo quarto Consultore, qui a suffragio ferendo se abstinet.

Can. 20 (novus)

In Universitatibus et Facultatibus omnibus quae ab Ecclesia dependent, solliciti sint Universitatum Moderatores atque professores ut singulae disciplinae propriis principiis, propria methodo atque propria inquisitionis scientiae libertate excolantur, ut profundior in dies earum intelligentia obtineatur, atque adeo etiam altius perspici possit qua ratione fides et ratio in unum verum conspirent (*Declar. Gravissimum educationis*, n. 10; *Const. past. Gaudium et spes*, n. 36).

Post diversas propositiones: «quodammodo» vel «quadam ratione» (Relator); aut «quas Ecclesia favet» primus Consultor, omnes conveniunt in propositionem Exc.mi quarti Consultoris quod dicatur: «In Universitatibus... quae ad mentem Ecclesiae erectae sint...» loco «ab Ecclesia dependent».

Can. 21 (novus)

Curent Universitatum catholicarum moderatores et professores ut variae Universitatis Facultates sibi inter se praestent operam, atque amplam foveant cum aliis Universitatibus cooperationem, in conventibus internationalibus participando eosque promovendo, in scientificis per vestigationi-

bus cum aliis collaborando, magistros ad tempus permutando atque alia quae ad maius scientiarum incrementum conferre possint media provehendo (cf. Declar «*Gravissimum educationis*, n. 12).

Rev.mus tertius Consultor notat non tantum moderatores et professores Universitatum catholicarum ad ea quae in canone continentur teneri, ideoque proponit ut quod ibi praescribitur ad alias quoque, quae ab Ecclesia dependent Universitates, applicetur, etsi catholicae non nuncupantur.

Exc.mus quartus Consultor animadvertisit quod sufficit in canone dicere: ex. gr. «*praedictarum* » loco «*catholicarum* ».

Placet haec propositio et textus est: «Curent earumdem Universitatum moderatores...».

Can. 22 (novus)

Provideant Episcoporum Conferentiae regionis atque locorum Ordinarii ut christifidelibus adultis quoque praebatur possilitas ad profundiorrem in religione christiana consequendam institutionem, ideoque ordinentur lectiones et colloquia de quaestionibus religiosis atque, ubi id fieri possit, condantur scholae superiores vel academiae scientiarum religiosarum, in quibus nempe docentur disciplinae theologicae aliaeque quae ad culturam christianam pertinent.

Forma adhibetur singularis: «Provideant... Conferentia... atque loci Ordinarius ut...». Versus finem dicatur «*doceantur* » loco «*docentur* ».

Can. 23 (novus)

Institutionem educationemque in doctrina christiana plurimi faciant omnes christifideles, quippe qui omnes ad pleniorum veritatis cognitionem sint vocati atque etiam solliciti esse debeant ut nuntium evangelicum, ad quod rite cognoscendum atque actuose vivendum institutio iuvenum maxime confert, efficacius propagetur et ab hominibus reapse recipiatur.

In fine textus canonis dicatur «*diffundetur* » loco «*propagetur* ».

DE INSTITUTIONE CLERICORUM

Can. 3 (CIC 1353)

§ 1. Universae communitati christiana officium incumbit fovendarum vocationum, ut necessitatibus ministeriorum in tota Ecclesia sufficienter provideatur; in specie:

1º ipsi parentes christiani current ut familiae suae ambitus spiritu fidei, caritatis et pietatis animatus sit, in quo germina vocationis oriri possint ac sustententur;

2º magistri atque omnes qui in puerorum iuvenumque institutione aliquam partem habent, praecipue Consociationes iuvenum catholicae, educationis rationem instituant quae apta sit etiam ad vocationes excolendas;

3º peculiari ratione sacerdotes, prae caeteris parochi, recta doctrina, zelo apostolico ac propria vita sacerdotali laeto animo peracta, adolescentibus eximum vitae ministerialis valorem ostendant, atque debita cum prudentia semper ad vocationes sacerdotales suscitandas, easque, si quas percipere existiment, fovendas, operam dent;

4º Episcopi, quorum maxime est de vocationibus provehendis curam habere, populum sibi commissum de momento ministerii sacri deque ministrorum in Ecclesia necessitate edoceant, incopta ad vocationes fovendas, opera praesertim ad hoc instituta, suscident, sustentent ac, consiliis etiam initis cum aliis Episcopis necnon Superioribus Religiosis, coordinent, atque quos ad divina ministeria vocatos iudicaverint omni ope adiuvent (Decr. *Optatam totius*, n. 2; Decr. *Apostolicam auctoritatem*, n. 11).

§ 2. Solliciti sint etiam sacerdotes, praesertim vero Episcopi, ut qui maturioris aetatis viri ad ministeria divina sese vocatos aestiment, prudenter verbo opereque adiuventur ac debite praeparentur.

Ad § 1, n. 2: post «vocationes», proponente Rev.mo Relatore, addatur verbum «suscitandas»: «vocationes *suscitandas et excolendas*».

Can. 7 (novus)

Seminaria legitime condita ipso iure personalitate iuridica in Ecclesia gaudent.

Exc.mus quartus Consultor proponit ut in textu mentio fiat etiam de iis qui Seminarium repraesentare possunt.

Rev.mus Relator proponit ut canoni alia paragraphus adiungatur, cuius textus sequens est: «In omnibus negotiis pertractandis personam Seminarii gerunt Episcopus dioecesanus, aut, si de Seminario interdioecesano agatur, coetus Episcoporum quorum interest, itemque Seminarii Rector necnon qui ab Episcopo Episcopisve quorum interest, ad hoc deputantur». Placet.

Can. 10 (CIC 1363)

§ 1. Ad Seminarium maius ab Episcopo diocesano admittantur tantummodo iuvenes qui, attentis eorum dotibus humanis et moralibus, spiri-

tualibus et intellectualibus, eorum valetudine physica et psychica atque conditione familiae, necnon eorum recta voluntate, habiles aestimantur qui ministeriis pastoralibus stabiliter sese dedicent (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 6).

§ 2. Antequam recipientur, documenta exhibere debent de susceptis baptismate et confirmatione aliaque quae, secundum praescripta Institutionis sacerdotalis Rationis in regione vigentis, requirantur.

§ 3. Qui ex alio Seminario vel ex aliquo Instituto religioso dimissi sunt aut sua sponte discesserunt, ne admittantur, nisi prius Episcopus dioecesanus a Rectore Seminarii aut Superiore Instituti noticias obtinuerit de causa eorundem dimissionis aut discessus ac de eorum indole, moribus et ingenio, atque certo compererit nihil in eis esse quod Dei ministris minus conveniat; quas noticias Superiores rogati, secundum veritatem suppeditare debent.

In § 3, forma indicativa «dimissi sunt», «discesserunt» in coniunctiva vertatur: «dimissi sint», «discesserint».

Can. 18 (novus)

§ 1. De oneribus quae ministris Ecclesiae propria sunt alunni debite reddantur certiores, nulla vitae sacerdotalis difficultate reticita.

§ 2. Ad servandum statum coelibatus, quem qui libere amplectantur soli in Ecclesia latina ad sacerdotium admittuntur, aptis mediis praeparentur eumque ut peculiare Dei donum in honore habere discant (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 10; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16; Paulus IV, Encycl. *Sacerdotalis coelibatus*, 24 iun. 1967: *AAS*, 59, 1967, PP. 657-697).

In § 1, proponente Exc.mo quarto Consultore, textus incipiat: «*De officiis et oneribus...*».

Can. 20 (CIC 1364, 2º et 3º)

§ 1. Licet alumni, ad normam can. 4, § 3, ad Seminarium accedere valeant tantum post adeptam humanisticam et scientificam formationem, haec eorundem formatio, prout id expedire videatur, prioribus praesertim curriculi studiorum annis, in Seminario compleatur, secundum praescripta Institutionis Rationis in regione vigentis.

§ 2. Eadem Institutionis ratione provideatur ut alumni non tantum accurate lingua patria sint edocti, sed ut congruam habeant cognitionem

linguae latinae necnon alienarum linguarum, quarum scientia ad eorum formationem, temporis ac loci adiunctis convenientem aut ad ministerium pastorale futurum exercendum necessaria aut utilis videatur.

Post verbum «Institutionis» addatur «sacerdotalis» in utraque paragraphe.

Can. 22 (novus)

Incipiente curriculo studiorum philosophico-theologicorum, alumni tradatur introductio generalis, per congruum tempus protracta, qua quidem, disciplinis philosophica et theologica apte compositis, alumni studiorum ecclesiasticorum sensum, ordinem ac finem pastoralem conspiciant simulque ad propriam vitam universam fide fundandam iuventur (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 14; *Ratio fundamentalis*, nn. 61 et 62).

Proponente Rev.mo Onclin, loco «conspiciant» dicatur «addiscant».

Can. 24 (CIC 1365 § 2)

§ 1. Institutio theologica, in lumine fidei, sub Magisterii ductu, ita impertiatur, ut alumni integrum doctrinam catholicam, divina Revelatione innixam, percognoscant, propriae vitae spiritualis reddant alimentum eamque, ministerium exercentes, rite annuntiare ac tueri valeant (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 16).

§ 2. In Sacra Scriptura, quae universae theologiae veluti anima esse debet (cf. Leo XIII, Enc. *Providentissimus Deus*, 18 nov. 1893: ASS, 26 1893, p. 283), peculiari diligentia erudiantur alumni; congrua previa introducione praemissa, methodo exegeseos initientur ac ita edoceantur ut totius Sacrae Scripturae conspectum acquirant (cf. Decr. *Optatam totius*, n. 16; Const. *Dei Verbum*, n. 23; *Ratio fundamentalis*, n. 78).

§ 3. Lectiones habeantur Theologiae dogmaticae, positivae atque speculativae, textibus Sacrae Scripturae semper innixae; itemque lectiones Theologiae moralis et pastoralis, Liturgiae, Historiae ecclesiasticae, Iuris canonici necnon aliarum disciplinarum auxiliarium atque specialium, ad norman praescriptorum Institutionis sacerdotalis Rationis.

Ad § 1: Exc.mus quartus Consultor proponit ut mentio fiat praeterquam Sacrae Scripturae etiam Ecclesiae Patrum necnon Magisterii Ecclesiastici.

Post disceptationem, textus Constitutionis conciliaris *Dei Verbum* seli-

gitur et canon sic sonat: «*Lectiones habeantur... speculativae, Verbo Dei scripto, una cum Sacra Traditione semper innixa...*».

Fons canonis est Const. dogm. *Dei Verbum*, n. 24; Decr. *Optatam totius*, n. 16.

Can. 30 (novus)

Quo formatio neo-sacerdotum etiam post Seminarium perficiatur Episcoporum Conferentiae, si id expedire iudicaverint, in Institutionis Ratione, statuere valent ut iidem certo tempore, per aliquot dies singulis hebdomadis, studiorum pastoralium vacent, aut alia ratione per determinatum tempus in re pastorali aptius instituantur (cf. S.C. pro Clericis, Litterae circulares *De permanenti cleri, maxime iunioris, institutione et formatione*, 4 nov. 1969, nn. 16-21).

Post «Institutionis» verbum «sacerdotalis» addatur. Loco «studiorum pastoralium» dicatur «studiis rerum pastoralium».

Can. 32 (CIC 1360 § 1)

Rectori, cuius est cotidianum moderamen Seminarii, ad normam Institutionis Rationis ac Seminarii Ordinationis, curare in propriis muneribus adimplendis omnes obtemperare debent.

Post «Institutionis» verbum «sacerdotalis» addatur.

DE LIBRIS ET INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS

Can. 2 (CIC 1384 § 1)

§ 1. Ut veritatum fidei morumque integritatem servent ac tueantur, ius est Ecclesiae pastoribus invigilandi ne christifideles scriptis aut usu instrumentorum communicationis socialis detimento sint fidei aut moribus; item exigendi ut quae fidem moresve tangent scripta edenda aut orationes instrumentis communicationis socialis diffundendae, suae approbationi subiificantur; necnon prohibendi quominus christifideles certos libros legant, immo vel retineant aut vendant, aut cum aliis communicent.

§ 2. Ius de quo in § 1 competit Episcopis, tum singulis tum in Conciliis particularibus Episcoporumve Conferentiis adunatis quoad christifideles suae curae commissos, atque supremae Ecclesiae auctoritati quoad universum Dei populum.

Ad § 1: Exc.mus primus Consultor petit ut clarior reddatur expressio «certos libros».

Exc.mus quartus Consultor et Rev.mus Relator proponunt ut dicatur: «... libros fidei aut bonis moribus contrarios legant...».

Placet propositio.

Can. 3 (CIC 1385, § 2; 1384, § 2)

§ 1. Nisi aliud statuatur, loci Ordinarius, cuius approbatio ad libros edendos iuxta canones huius tituli petenda est, est loci Ordinarius proprius auctoris aut Ordinarius loci in quo libri publici iuris fiant, aut Ordinarius loci in quo imprimantur, ita tamen ut, si eorundem quis approbationem denegaverit, non liceat auctori eandem ab alio petere, nisi eundem de denegata ab alio approbatione certiore faciat.

§ 2. Quae in canonibus huius tituli statuuntur de libris praescripta, quibuslibet editis scriptis applicanda sunt, nisi aliud constet.

Ad § 1: lectio textus est: «Nisi... huius tituli est petenda, est loci Ordinarius proprius...».

Can. 9 (CIC 1386)

In diariis, foliis aut libellis periodicis qui religionem catholicam aut bonos mores manifesto impetere solent, ne quidpiam conscribant christifideles, nisi iusta et rationabili de causa; clerici autem et Institutorum religiosorum aut saecularium sodales, approbante tantummodo loci Ordinario.

Loco «Institutorum religiosorum aut saecularium...» dicatur: «Institutorum perfectionis sodales, tantummodo approbante...».

Can. 10 (CIC 1385, § 3)

Institutorum religiosorum aut saecularium sodales ut scripta edere possint, licentia egent sui Superioris maioris ad norman Constitutionum.

Lectio textus est: «Institutorum perfectionis sodales...».

Can. 12 (CIC 1393)

§ 1. In Curiis episcopalibus praesto sint librorum censores, scientia, recta doctrina et prudentia praestantes, a loci Ordinario aut ab Episcoporum Conferentia designati.

§ 2. Censores, in suo obeundo officio, omni personarum acceptione seposita, prae oculis tantummodo habeant Ecclesiae de fide et moribus et doctrina, uti a Magisterio ecclesiastico proponitur.

§ 3. Censor sententiam suam scripto dare debet; quae si faverit, Ordinarius licentiam concedat ut editio fiat cum sua approbatione, expresso suo nomine necnon tempore ac loco concessae approbationis; quod si non detur approbatio, rationes denegationis operis scriptori Ordinarius communicet.

Ad § 1: Supprimatur particula « In » initio textus.

Ad § 2: Forma adhibetur singularis: « Censor... ». Placet.

Ad § 3: In fine dicatur « rationes denegationis *cum* operis scriptore Ordinarius communicet ».

DE SACRIS MISSIONIBUS

Can. 1

Summo Pontifici, cui (ad norman can. 60 Legis Ecclesiae Fundamentalis) singulari modo munus christiani nominis diffundendi demandatum est, competit suprema directio et coordinatio inceptorum et actionum quae ad opus missionale atque ad cooperationem missionariam pertinent (cf. Decr. *Ad gentes divinitus*, nn. 6).

Initio canonis verbum « Summo » cum « Romano » mutatur. Supprimitur insuper citatio can. 60 L.E.F.; tamen si can. 60 in L.E.F. non servabitur, hic inserendum est.

Proponente Exc.mo quarto Consultore, aliquid tamen addendum videatur circa Episcoporum opus missionale — et uti paragraphus altera canonii adiungendum est.

Rev.mus Relator sequentem textum proponit: « Munus Evangelium ubique terrarum annuntiandi et diffundendi item competit Episcoporum Collegio, immo et singuli Episcopi, utpote Ecclesiae universae atque omnium Ecclesiarum sponsores, operis missionalis peculiarem sollicitudinem habent ». Placet omnibus.

Uti fons huius canonis apponuntur: Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 23; Decr. *Christus Dominus*, n. 6; Decr. *Ad gentes divinitus*, n. 6.

Can. 3

Missionarii dicuntur sacerdotes saeculares, religiosi et christifideles laici, viri aut mulieres, sive autochtoni sive exteri, qui cum congrua naturali

indole praediti sint ac dotibus et ingenio idonei iudicentur, a legitima auctoritate ecclesiastica ad opus missionale explendum mittuntur (cf. Decr. *Ad gentes*, n. 23).

Loco « religiosi » dicatur « Institutorum perfectionis sodales ».

Can. 6

Neophyti, cum baptismate regenerati et in populo Dei recepti sint, idoneis institutis ad veritatem evangelicam penitus cognoscendam et officia baptismate suscepta apte implenda efformentur; sincero amore erga Christi Ecclesiam et spiritu eocumenico nutriantur.

In fine dicatur « imbuantur » loco « nutrientur ». Fons canonis est Decr. *Ad gentes*, n. 15.

Can. 7

Missionarii non tantum curent ut eos pascant qui ad populum Dei iam pertinent, sed et maxime solliciti sint ut evangelicum nuntium eis praedcent qui foris sunt.

Placet ut lectio textus sit: « Missionarii curent non tantum ut... sed ut evangelicum nuntium eis quoque praedicent... ».

Can. 8

§ 1. In opere missionali adimplendo uti cooperatores assumantur catechistae, qui nempe continuo labore sese devote ut viam evangelizationi parent atque missionariis vario modo adiutorio sint; quare efformentur catechistae, sive in scholis ad hoc destinatis, sive, ubi desint, sub moderamine missionariorum.

§ 2. Ad auxilium praestandum a locorum Ordinariis aut ab ipsis missionariis, de consensu proprii Ordinarii, vocari possunt catechistae auxiliares, qui scilicet ad tempus aut partim operi missionali vires suas dedicant.

Ad § 1: Proponente Exc.mo primo Consultore, supprimuntur verba « vario modo ».

Ad § 2: Verba « locorum Ordinariis » in forma singulari vertantur.
Fons utriusque paragraphi est Decr. *Ad gentes*, n. 17.

Can. 9

§ 1. Iuxta normas ab Episcoporum Conferentia statutas, Episcopi est in suo territorio:

1° promovere, moderari et coordinare quae ad actionem missionalem spectant incepta et opera (cf. Decr. *Ad gentes*, n. 30);

2° normas edere quae ad praeparationem pastoralem suorum missionariorum et catechistarum pertinent (cf. Decr. *Ad gentes*, passim);

3° curare ut debitae ineantur conventiones cum Moderatoribus Institutorum quae operi missionali se dedicant, utque relationes cum iisdem in bonum cedant Missionis (cf. Decr. *Ad gentes*, n. 32)

4° operam dare ut etiam in christifidelibus laicis suscitetur spiritus missionarius (cf. Decr. *Ad gentes*, n. 21).

§ 2. Praescriptis ab Episcopo editis, quae sacri apostolatus exercitium respiciunt, subsunt omnes missionarii, etiam religiosi exempti, eorumque auxiliares in eius ditione degentes.

Ad § 2: Verba «religiosi exempti» cum aliis «Institutorum exemptorum sodales» mutentur.

Can. 10

Episcoporum Conferentiae diversarum regionum opera instituant ac promoveant, quibus qui e terris missionum laboris aut studii causa ad territorium suum accedunt, fraterne recipientur et congruenti pastorali cura adiuventur.

Fons textus est Decr. *Ad gentes*, n. 38.

DE FIDEI PROFESSIONE

Can. 1 (CIC 1406 et 1408)

Reprobata qualibet contraria consuetudine, obligatione emittendi professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, tenentur:

1° coram praeside eiusve delegato, qui Oecumenico aut particulari Concilio aut Synodo dioecesanae intersunt cum voto sive deliberativo sive consultivo; praeses autem coram Concilio aut Synodo;

2° (*provisorie*) coram Sacri Collegii Decano, Cardinalibus primis in ordine presbyterorum et diaconorum, et S.R.E. Camerario, promoti ad cardinalitiam dignitatem;

3° coram delegato ab Apostolica Sede, omnes promoti ad episcopatum,

itemque promoti ad regimen Abbatiae vel Praelaturaे cui proprius est populus, aut ad regimen Vicariatus vel Praefecture Apostolicae;

4° coram Collegio deputatorum aut Capitulo Cathedrali, ad norman can. ..., administrator dioecesanus;

5° coram loci Ordinario eiusve delegato et coram Capitulo, qui ad canonictatum promoti sunt aut in Capitulo munus praesidis exercent;

6° coram loci Ordinario eiusve delegato atquae coram aliis membris, qui membra eliguntur aut nominantur Consilii presbyteralis aut pastoralis;

7° coram Episcopo dioecesano eiusve delegato, Vicarii generales, Vicarii episcopales, parochi aliquie quibus committitur officium quod curam animarum amplectitur; rector, professores sacrae theologiae, iuris canonici et philosophiae in Seminariis, initio suscepti muneris; promovendi ad ordinem diaconatus; itemque alii quibus id imponitur decreto sive Apostolicae Sedis sive Episcorum Conferentiae;

8° coram Ordinario loci in quo sedem habet Universitas vel Facultas aut coram Superiore Instituti religiosi aut saecularis ad quod pertinet Universitas vel Facultas, eorumve delegato, Rector Universitatis vel Facultatis catholicae, initio suscepti muneris; coram eodem Ordinario aut eodem Superiore, eorumve delegato, aut coram Universitatis Facultatis Rectore, si sit sacerdos, professores omnes Universitatis vel Facultatis canonice erectae, initio suscepti muneris; itemque qui, periculo facto, academicis gradibus donantur;

9° coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit; eorumve delegato, Superiores in Institutis religiosis aut saecularibus clericalibus.

Textus verbis «Obligatione emittendi...» incipiat, deletis «Reprobata qualibet contraria consuetudine».

In n. 1° adiungatur «omnes» post «delegato»: «delegato, omnes qui Oecumenico...»; necnon «aut tamquam periti» post «consultivo»: «consultivo aut tamquam periti; praeses...».

Dein ordo numerorum aliquantis permutatur: n. 5° fit n. 6°: in hoc numero mutatur particula «aut» cum «necnon qui»; n. 6° fit n. 7°; n. 7° fit n. 5°: hic numerus in duos dividitur post verba «Vicarii Episcopales»; n. 8°: qui ex divisione numeri olim 7° constat et initium incipit cum verbis: «Coram loci Ordinario eiusve delegato parochi aliique...»; n. 8° fit n. 9° et tandem n. 9° fit n. 10°, in quo verba «religiosis aut saecularibus» cum «perfectionis» substituuntur.

Can. 2 (CIC 1407)

Obligationi fidei professionem emittendi non satisfacit qui eam per procuratorem vel coram laico emittit.

Particula «vel» cum «aut» substituitur.

Ita Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo
Coetus de Magisterio Ecclesiastico, per hanc VIIam Sessionem, ordo re-
rum et dicendorum explicit.

Romae, die 19 ianurii 1972.

M. De Nicolò

Actuarius

